

## CAPUT TERTIUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit currus, equites, micantes gladios, fulgurantes hastas Chaldaeorum describere, quibus conficiet Ninivem meretricem, ob ejus cædes, rapinas et maleficia. Deinde, vers. 8, confert eam cum Alexandria, in frequentia, robore, opibus, atque: Sicut illa capta est a Chaldeis, ita capieris et tu, o Ninive. Denique, vers. 12, docet quod Deus omnes ejus munitiones debilitabit et disiciet, quodque duces ejus et milites erunt ignavi, imbelles et pavidi quasi mulieres; quodque mercatores et mercis ab ea avolabunt, sicut bruchus et locusta, incalescente sole, avolant (1).*

1. Væ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena: non recedet a te rapina. 2. Vox flagelli, et vox impetus rotæ, et equi frementis, et quadrigæ ferventis, et equitis ascendentis: 3. et micantis gladii, et fulgurantis haste, et multitudinis interfectæ, et gravis ruina: nec est finis cadaverum, et corruent in corporibus suis. 4. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis: 5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam. 6. Et projiciam super te abominationes, et contumeliis te afficiam, et ponam te in exemplum. 7. Et erit: omnis, qui viderit te, et dicet: Vastata est Ninive, quis commovebit super te caput? unde quæram consolatorem tibi? 8. Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus: ojus divitiæ, mare: aquæ, muri ejus. 9. Æthiopia fortitudo ejus, et Ægyptus, et non est finis: Africa et Libyæ fuerunt in auxilio tuo. 10. Sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem: parvuli ejus elisi sunt in capite omnium viarum, et super inclytos ejus miserunt sortem, et omnes optimates ejus confixi sunt in compedibus. 11. Et tu ergo inebriaberis, et eris despecta: et tu tu quæres auxilium ab inimico. 12. Omnes munitiones tuas sicut ficus cum grossis suis: si concussa fuerint, cadent in os comedentis. 13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adpartione penduntur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. 14. Aquam propter obsidionem hauri tibi, extruxit munitiones tuas: intra in lutum, et calca, subigens tene laterem. 15. Ibi comedet te ignis: devorabit te tu bruchus: congregare tu bruchus: multiplicare tu locusta. 16. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cæli: bruchus expansus est, et avolavit. 17. Custodes tui quasi locusta: et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigidis: sol ortus est, et avolaverunt, et non est cognitus locus earum ubi fuerint. 18. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur: sepeliverunt principes tui: latitavit populus tuus in montibus, et non est qui

(1) Retractat Propheta supra dicta, sed ita ut addat nova ampliusque descriptionem ruinae Ninivæ.

Primo, assignat causas et effectus, scilicet, primo, causa prima, frequentata in Ninive cædes, fraudes, depredationes, 1; secundo, effectus primus, bellum et obsidio contra urbem suscepta, hostes in urbem captam irrumpentes, equitatus ad stragem edendam, et prædandum paratos, ipsæque in capta urbe strages edita, 2, 3; tertio, causa secunda, idololatria et magia, seu potius fœdera dolosa quibus alias gentes ad se pertraxerunt Assyrii, et sibi tandem subjecerunt, 4; quarto, effectus secundus, quem describit, contumacia imagine a meretricie desumpta, scilicet invernis urbis et regni, conjuncta cum turpitudine et ignominia, vers. 5; cum abominatione et contumelia, vers. 6; cum irrisione et solatii carentia, vers. 7.

Secundo, urbi Ninivæ, ut ex aliis fortunam, rerumque vicissitudinem discat, Propheta exemplo proponit urbem Ægypti clarissimam, tam ex se quam ex auxiliariis potentissimam, et ahihiominis capiendam et desolendam, 8-10; applicationemque facit ad fata Assyriorum futura, et ad Ninivæ ruinam quam iterum describit per enumerationem et hypotyposin, primo, summe in diruendis Assyriorum manibus facilitatis apta similitudine grossarum, seu procoquarum ficum, 12; secundo, effluviatorum viarum, et diluctarum latissime portarum, 13; tertio, frustrati laboris in reparacione munitionum, 14; quarto, vastatæ igne et ferro urbis, et sublatarum divitiarum, 15, 16; quinto, dilapsorum militum, enectorum principum et dispersorum civium, 17, 18; sexto, victorum suspentium et luctuum de magnitudine cladis, 19.

congreget. 19. Non est obscura conritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transit malitia tua semper?

Vers. 1. 1. VÆ (scilicet tibi, o) CIVITAS SANGUINUM, — o Ninive sanguinaria, quæ omnium gentium sanguinem fudisti, ut eas tibi subjiceret! Unde Chaldeus vertit: *Væ civitati sanguinum!* Ita Theophylactus, Haymo, Rupertus, Hugo et Lyranus. Postet secundo, vox sanguinum, accipi pro scelerum, q. d. Væ tibi, o civitas scelerata, omnibus criminibus plena et cooperta! quia enim sanguinis effusio, puta homicidium, gravissimum est scelus in proximum, hinc quodlibet enorme crimen vocatur sanguis, id est sanguinis effusio, per synecdochen, qua pars pro toto; vel per catachresin, qua simile pro simili ponitur. Unde Syrus et Arabicus vertunt: *Væ civitati sanguinum, quæ tota est mendacium, et plena iniquitate!* Dat causas excidii Ninivæ, cur scilicet Deus ab ea transtulerit monarchiam in Babylonem. Prima est, cædes injustæ, cæque plurimæ. Secunda, quod sit « universa mendacii, » id est, ut Septuaginta, *tota mendax;* Tigrina, *in universum plena mendacio,* q. d. « In Ninive nulla est veritas, sed omne mendacium, » ait S. Hieronymus, quia regnat in ea omnis dolus et fraus. Tertia, quod sit « dilaceratione plena, » id est plena rapina et laceratione prædaram. Unde vertit Aquila, *excoercitione plena;* Symmachus, *amortitas,* id est crudelitate vel severitate plena. « In altera ejus editione, ait S. Hieronymus, reperi *αδρακτίας αδρακτίας,* id est sectionibus carnum et frustis per membra concisis plena; denique statim subjecti: Ubi indesinens præda est, » q. d. Ninive repleta est rapinis, sicut lustra leonum plena sunt membris et ossibus animalium ab eis laceratorum et devoratorum. Hæc enim comparavit Niniven cap. II, ubi eam vocavit « habitaculum leonum. » Subdit S. Hieronymus: « Porro Hebræus (S. Hieronymi in Hebræa lingua magister) *פרעו* perer, gubernaculum, id est *αδρακτίας* interpretatus est, ut ostenderet et urbem fuisse regalem, et velut in navi cunctarum gentium tenuisse gubernaculum. »

frmbelli  
ce, Nini  
te sec  
lerata est  
mandans  
in mali  
gno post  
tus.

Symbolice, Ninive speciosa est, et speciosus hic mundus, qui græce *σολυμια* a specie et ornatu dicitur. Hic enim totus in maligno positus, plenus dicitur, pleniorque erit in fine, sub diem judicii (ideoque tunc evertetur et concremabitur) sanguinibus, id est cadibus et sceleribus, æque ac mendaciis, dolis et fraudibus; item calumniis, rapinis, omnique violentia qua proximorum vel famam vel bona, vel corpus vitamque dilacerat. Ita S. Hieronymus.

NON RECEDET (id est nunquam recedat) A TE RAPINA, — q. d. Ninive tota est rapinis intenta; futura enim Hebræorum sepe actionis continuationem, morem, consuetudinem et perpetuitatem significant.

Vers. 2. 2. VOX FLAGELLI. — S. Hieronymus cum Remi-

gio, Alberto aliisque suis assolis pergit hæc accipere de Ninive et Assyris, quasi hic eorum currus, equites, arma describat Propheta, quibus vim inferebant aliis gentibus, easque prædabant et lacerabant. Melius Theodoretus, Theophylactus et Vatablus hæc accipiunt de Chaldeis, qui flagellarunt et castigarunt predationes, cædes et rapinas Ninivæ. Est ergo hic hypotyposis, sive viva belli a Chaldeis Ninivæ inferendi imago et representatio, q. d. Videor jam comminus videre et audire flagella aurigarum in curribus Chaldaeorum hostilibus, rotarum cursus et impetus, equiles equosque frementes; item micantes eorum gladios, et fulgurantes hastas, quibus ipsi ingentem multitudinem Ninivitarum interfecerint, ipsisque gravem ruinam, id est multitudinem cadaverum afferant. Nota, *gravis* hic ponitur pro magno, id est multo; est enallage: ponitur enim qualitas pro quantitate, et quantitas continua pro discretâ; puta *gravis* pro magno, et magnum pro multo. Sic Antiochus dicitur intrasse Ægyptum in multitudine gravi, id est numerosa et copiosa, I Machab. I, 18. Sic Deus in Ægyptum per Mosem misit muscam gravissimam, id est plurimam, Ecod. cap. VIII, vers. 24. Vide ibi dicta. Rursum quadragis vocat ferventes et ardentes, ob celeritatem et impetum, quo ipse ipsarumque rotæ adeo motu et collisione lapidum incalescent, ut ardere videantur, quin et vere scintillas ignemque emittant. Similem curribus fervorem dat Virgilius III Georg.:

Illi instant verberè torto,  
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis,  
Janque humiles, Janque elati sublimè videntur,  
Aera per vacuum ferri, aique assurgere in auras.

Tropologie, Ninive est anima peccatrix, plena sanguinibus, id est sceleribus; hæc est tota mendaciis, quia nullum in se locum relinquit Deo, qui veritas est; sed fallacibus opinionibus imbuta, et diaboli prestigibus delusa, corpus et rem solidam putat esse opes, delicias, et honores, quæ tantum sunt umbra.

Hæc dilacerat famam et bona proximatorum, quin et alios a via Dei averit, et honora eorum opera diripit, nec ab hac rapina recedit. Huic imminent multa mala. *Primum* est, « vox flagelli, » id est conscientie intus mentem flagellantis, de quo Juvenalis, *satyra* xim:

Evassio putes, quos dira conscientia culpe  
Nunc habet altissimos, et surdo verberè credit;  
Occultam quatiente animo tortore flagellum?

Ita Ribera (1).

(1) « Vox... et equi frementis, et quadrigæ ferventis,

Tropologie, est anima impia.

Vers. 3. 3. CORRUENT (Ninivite et Assyrii) IN CORPORIBUS SUIIS, — id est inter corpora et cadavera suorum. Ita Chaldaeus. Unde Tigurina vertit: *Ruent per sua corpora*. Paulo aliter vertunt Pagninus et Vatablus: *Impingent* (scilicet Chaldaeus) *in corpora eorum*, scilicet Assyriorum occisorum, *q. d.* Tanta erit strages Ninivitarum, tanta multitudo cadaverum, ut viam tum Assyriis fugientibus, tum Chaldaeis insequentibus intercludant, atque utriusque in ea impingant et corruant.

Vers. 4. 4. PROPTER MULTITUDINEM FORNICATIONUM MERETRICIS SPECIOSE. — Fornicatio apud Prophetas significat idololatriam, idolum enim est quasi adulter; Ninive est quasi meretrix speciosa, *q. d.* Ruent Assyrii propter multitudinem idololatriae Ninives, quae et re et nomine speciosam sonat, ideoque ob suas speciosas opes, delicias et pompas omnibus erat grata, *q. d.*, ait S. Hieronymus, Ruent Ninive, quia totius orbis sibi subjecti coluit idola et maleficia magica; quia tota magiae, superstitioni et idololatriae fuit dedita, ad eamque pellexit, imo coegit omnes gentes (2). Unde sequitur:

QUE VENDIDIT GENTES IN FORNICATIONIBUS SUIIS, — *q. d.* Ninive tradidit alias gentes et populos suis hostibus, puta Chaldaeis; quia ipsa eos docuit suas idololatrias et maleficia, puta incantationes

et equitis ascendens » verborum קָרַשׁ מַעְרָה *paros male* (quae Valgata vertit, et *opulis ascendens*, et quae in textu hebraeo cum vers. 3 connectuntur), fore tot reperitur interpretationes; quot sunt interpretes, ait Maurer; potissimum interpretationibus recessit post Rosenmüller, sic cum Ludovico de Dieu ipse vertit, *equos auferens*: « Sicuti, inquit, versu precedenti minatus fuerat sonitum scuticæ et sonitum motus rotarum, sic hoc versu minatur equites auferentes, deinde flammam gladium et coruscantem hastam. Est autem equos auferens, qui prædam multam subducit, quam quasi secum ascendere facit, inquit Ackermann, qui et ipse hinc interpretationi adstripsit. Sicut enim in Cal קָרַשׁ *ala* sæpe usurpatur pro *abire*, recedere, sic in Hiph. קָרַשׁ *cala* sæpe pro *auferre*, tollere, ut *Psalm.* cu, vers. 25.

(2) *Synonymis* plerique interpretes intelligunt aliorum deorum cultum, artesque quibus usa finitimis persuadebat, optime colit numerum secundum morem rituumque, quem ipsa sequatur. Sane זָנוּוֹת *zenovim*, fornicationes, si de populo Hebraeo dicitur, de cultu aliorum præter Iovam deorum dicit, notum vide *Jerem.* xii, 27; *Ezech.* lvi, 30. Hoc vero loco, ubi de Assyriis agitur, qui Iovam nunquam colerunt, *zenovim* intelligere malitiam de *dolobis* *federibus* quibus alias gentes ad se pertraxerunt Assyrii, et sibi tandem subjoecerunt. Ita *Jesaj.* xxii, 17, Tyrus inducitur tanquam meretrix, quae cum omnibus regnis terrarum scortata fuerit. » (Rosenmüller.) Bene hæc Rosenmüller, inquit Maurer, neque de cultu deorum fictorum, neque de commercio (*Jes.* xxii, 17), de quo cogitant alii, potest cogitari. Intelligenda *scortationes* de amicitia simulata et fraudulenta, *præstigia* de callidis consiliis machinationibusque occultis, quibus meretricis instar multorum animos in amorem sui pellicentis, alios populos suis Assyrii irretiverunt laqueis. Quae ipsa de causa *sua* appellatur ista meretrix. (Maurer.)

magicas et superstitiones, ob quæ a Deo traditi sunt Chaldaeis. Ideo enim Deus immisit Chaldaeos quasi hietores in omnes gentes, ut earum idololatriam et scelera punirent, ut patet *Jerem.* cap. xvi, vers. 17.

Nota: *Ta vendidit* significat primo, Ninive instar reginae, sed meretricis, alias gentes sibi subditas, nunc vi, nunc illecebris, nunc mendacibus, aliisque artibus meretricis coegisse ad sua idola et scelera. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Hugo et Lyranus. *Secundo*, eam gentes in servitium redegeisse, iisque abusum esse quasi mancipiis, utpote quæ illas vendidit hosti, dum eas coegit secum prodire in aciem contra Chaldaeos; itaque ipsas quasi oves, gladiis Chaldaeorum secum pugnandas objecit. Ita Theophylactus. Sic verum est illud Poete:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Addunt Cyrillus et Theophylactus fornicationem hic vocari *magiam*, per quam gentes et tribus vendebant, dicentes: Date nobis mercedem et pretium, ac nos exsecrabitur gentes vobis hostiles, itaque faciemus ut vobis resistere nequeant, eas facile expugnetis, ut fecit Balaam ariolus Balac regi Moab, *Numer.* xxi et xxii. *Tertio*, in Scriptura Ahab, *III Reg.* xxi, 23, et alii dicuntur vendidit vel venundatū et facerent malum; quia scilicet traditi sunt quasi servi in potestatem peccati et diaboli, ut ad ejus nutum agerentur quasi mancipia in omne scelus. tradit, inquam, directe a se suisque heris et dominis; indirecte a Deo permitteute, et puniente priora eorum scelera.

ET FAMILIAS (id est populos) IN MALEFICIIS SUIIS. — *Maleficia* vocat veneficia, ut vertunt Septuaginta, opes, pompas, delicias, incantationes, philtrea, puta illecebras, quibus Ninive quasi meretrix omnes ad sui amorem et suorum deorum cultum alliciebat. Hæc enim significat hebraeum כְּמַכֵּי כְּסוּפִים *kesophim*.

Symbolice S. Hieronymus: Ninive, inquit, est mundus illecebrosus, habens maleficia; Septuaginta, *dux maleficiorum*, id est incantationum et illecebrarum, quibus homines dementant: « Vox flagellorum auditur in mundo, quia multe sunt tribulationes iustorum, quibus flagellantur, clamant, et doloris magnitudinem flebili voce testantur. Quando alius demone, alius ira, quæ furori similis est, alius libidine, odio, invidia, superbia, corripuntur, flagellum in eis Assyrii regis sonat. Sed et in corporis malis, flagellum diaboli intelligimus, de quo ad ipsum dicitur *Psalm.* xc: Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quando videmus hunc morbo regio computuisse, et superesse cadaveri suo: alium intercuti aqua et tumentis nature corpore, crescentibusque membris formam pristinam hominis decrescere: illum purulentas quasdam, et vulnerati damna pulmonis egere: istum humore

Symbolice, d. ta-  
ga Ni-  
vivo  
sent tr.  
hæc alio-  
que mu-  
di.

in lapides desiccato, urinae amaritudinem, et vesicæ tormenta sentire; non dubitemus dicere vocem flagellorum esse Ninive.

Hæc S. Hieronymus, qui et subdit: « Et vox commotionis rotarum, dum hæc atque illud genus raptatur humanum, et incertis per cuncta discursibus, ubi periculum, ubi salus sit ignoramus; de qua rota et *Ezech.* i, 16, et *Psalm.* lxxvi legitur: Vox tonitruus tui in rota. Habet et Ninive equum persequentem, puta diabolum, de quo *Job* xxxix: De longe odoratur bellum. Quadrige, et quatuor earum equi sunt quatuor perturbaciones, de quibus Maro: Hi cupiunt metuuntque, dolent gaudentque. His equis, et hæc quadriga Ninive cuncta perturbat. Et quomodo quatuor, quibus pugnamus et tegimur, sunt scuta virtutum: prudentia, justitia, temperantia, fortitudo; ita e contrario quatuor vitia sunt, stultitia, iniquitas, luxuria, formido quibus ab hoste percutimur. Quarum singula pullulantes habent in se ac multiplices species sagittarum, quibus inferunt vulnera, imo vulnerati usque ad inferna demerguntur. Nec est finis gentibus ejus. Malitia ejus finem non habet, et quantæ species peccatorum, tot gentes sunt Ninive, quæ infirmantur in corporibus suis a multitudine fornicationis. Nec mirabitur Niniven scortorum jam esse gratissimam, qui tantam hominum multitudinem cum ea viderit fornicari, et maleficiis illius, et quibusdam incantationibus ad amorem ejus pene cunctos trahi. Hæc vendidit gentes in fornicationibus suis, quæ tollunt membra Christi et faciunt membra meretricis: idque facit tribus maleficiis suis. Facit enim amare eas quæ odisse debebant, et detestari quæ amare debebant; ut cum decepte fuerint, etiam alios maleficia arte supplantent. » Unde hæc alludens S. Joannes *Apoec.* xvi, 3, Babylonem suam (quæ typus est mundi) quasi alteram Niniven schemate reginae, sed meretricis ista depingit: « Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemie, habentem capita septem, et cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis ejus. Et in fronte ejus nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terre. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. » Vide ibi dicta.

Præclare S. Bernardus, *epist.* 103: « Væ, ait, væ! vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis additum intercludit. Quousque tu tante gloriæ profers formam, quod hodie est et eras in cibum militum: carnem dico, et ejus gloriam: Siquidem omnis caro formam est, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ et assequi miserum est. Beatus qui

post illam non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. » *Epist.* 107: « Din, ait, ista in te mundus habere non poterit, et te quippe ipsum brevi non habiturus. Nam breves dies hominis sunt. Mundus quidem cum suis concupiscentiis transit; sed te prius emittit quam ipse pertransit. Qui te sine fine delectat amor mori finiendus. »

5. ECCE EGO AD TE, — o Ninive, armatus et furibundus in Chaldaeis venio, ut te quasi scortum infame spoliem, denudem, castigem, totique orbi ridendam et exhibendam proponam. Unde Tigurina vertit: *En me tibi hostem, inquit Dominus exercituum.*

REVELABO PUBENDA TUA IN FACIE TUA. — Tigurina, Pagninus et Vatablus: *Revelabo fimbrias tuas, vel limbos tuos*; hoc est, spoliabo te tuis fimbriis, et vestibus speciosis et pretiosis per Chaldaeos, ut omnibus spoliata et nudata a cunctis ridearis et subanneris, dum cuncti præter nuditatem et paupertatem, etiam oculos tuas sordes, vomices et carcinomata, quas syntale et veste aurata tegebas (hæc enim vocat *pubenda*, quia ob ea pudescibat), id est occultas suas spurcicias, vitia et fæditates, proptalam conspiciant. Perstat enim in metaphora meretricis. Unde explicans subdit:

5 et 6. OSTENDAM GENTIBUS NUDITATEM TUAM, ET REGNIS IGNOMINIAM TUAM. ET PROJICIAM SUPER TE ABOMINATIONES, — id est tibi imponam, ostendam, et propalabo omnia tua abominanda scelera; quo fiet ut omnes certatim te abominentur; et diris mille dovebant: tam acris enim vindicta Dei, quæ te punit et evertet, omnibus ostendet te rapacissimam et sceleratissimam tyrannam fuisse. Unde sequitur, « et contumelias te afficiam, » ut meretrices publice in circolo expositas, vel ad unum alligatas omnes subsannant, in easque feces, lutum et stercorem faciunt: itaque « ponam te in exemplum; » Tigurina, *fuciam te spectaculum*; Pagninus, *ponam te inquinamentum*: Chaldaeus, *ponam te execrandam*, et *ponam te foetissimam oculis omnium videntium te.*

Moraliter, magna Dei est gratia, cum peccatori revelat suam turpitudinem, ac volupatis illi dicta, v. g. meretricis, sordes. Sicut enim exterius et publice meretricis nihil videtur speciosius et elegantius; sic interius et domi nihil putidius, sordidius, vilius, miserius, pauperius, adeo ut adolescentibus qui in illas ita pomposas rapiuntur, visis earum internis sordibus, nauseent, et eas abominentur. Tale est peccatum et peccatrix anima, puta est quasi ornata meretrix, et sepulchrum dealbatum; exterius nitens, interius putens et fetens; exterius Venus, interius anus; exterius formosa ut Lais, interius deformis ut Thais; publice splendidior Cyro, domi pauperior Iro, vix habens panem atrum quem mandat, ut ait Terentius in *Eunicho*. Audivi ab aulicis principis cujusdam femine luxuriose viventis, corpus ejus

Vers. 5.

Vers. 5 et 6.

tantum fetorem exhalasse, ut intolerabilis videretur, nec tam corpus quam triduanum cadaver esse diceret.

Vers. 7.

7. OMNIS QUI VIDERIT TE, RESILIT A TE. — Pagninus, *alongantur se a te*; Tigurina, *refugiet a te*, et dicit: *Vastata est Ninive*; Chaldaeus, *expulata est Ninive*; Septuaginta: *Qui viderit te, descendet a te*, et dicit: *Misera est Ninive*. Simili modo in exordio Babylonis dicitur Apoc. xviii, 45: « Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabant propter timorem tormentorum ejus, fientes ac lugentes, et dicentes: Vae, vae civitas illa magna, quae amicta erat bysso, et purpura, et cocco! etc.: quoniam una hora destituta sunt tanta devitae. » Sic de Tyro ait Ezechiel cap. xxvi, 47: « Quomodo peristi, quae habitas in mari, urbs inclinata? etc. Nunc stupebunt naves in die pavoris tui: et turbantur insulae in mari, eo quod nullus egrediatur ex te. » Et cap. xxvii, 28, describit navitas et mercatores ejulantes in vastitate Tyri.

Tropologiae, de fano Ninive, ubi est munus di.

Tropologiae S. Hieronymus: « Quamdiu, ait, terrena honoramus, et putamus esse sublimia, velut in quodam superbie culmine sumus, et miramur pulchritudinem Ninive, » id est mundi. « Cum autem consideraverimus naturam ejus, et omnia corporalia bona, quasi humilia despexerimus, subjicientes nos potentiae manus Dei, tunc miserebimur Ninive, et omnia terrena bona digna planctu iudicabimus, dicemusque: Misera Ninive, quanti tuis laqueis irretiti sunt? quantos alligatos laqueis tuis tenes? quis putas resiliit a te, et descendet de superbia tua, et te miseram iudicabit? » g. d. Pauci sunt, sed sapientes et oculati, qui id iudicant. Ninive ergo est speciosa uxor, speciosi filii et filia, speciosa famulorum pompa, speciosae opes, speciosa dignitas, quae multos sua specie captant et dementant. Verum prudentes, qui considerant earum brevitate, instabilitatem, fugacitatem, curas, molestias, angores, pericula, vident hanc speciem esse fucantam et larvatam: illico enim praeterit figura hujus mundi, ut ait Apostolus. Quocirca ea despicunt, dicuntque: « O quantum est in rebus inane! » atque ad speciem mundi caelestis, quae semper durat, ad divina est et beata, anhelant.

Exemplum insigne hae in re praebuit S. Eucherius Lugdunensis episcopus anno Domini 440, qui, ut habet Ado in *Martyrol.* die 16 novembris, cum esset senator ingenio, opibus, eloquentia, scientia, dignitate praenobilis, haberetque conjugem illustrem et opulentam, ex eaque speciosos liberos, plures marces et feminas, haec omnia contempsit, suosque omnes eadem contemnere docuit. Nam universis relictis, secessit in monasterium Lirinense; inde in solitudinem, ibique in spelunca totum se jejuniis et orationibus addixit, donec sede episcopali Lugduni vacante, angeli moniti designatus est Lugdunensis episcopus. Quare a clero et populo ad hoc munus requis-

tus, cum ipse illud omnino abnueret et excuteret, vi e spelunca extractus, vincetusque ductus in urbem, in cathedra episcopali violenter collocatus est, quam mira fide, sanctitate et doctrina administravit. Exstant etiamnum doctae ejus hucubrationes in *Genesisim*, *libros Regum*, etc., quas filiis suis Veranio et Salonio dedicavit. Hos enim a puero in monasterio educari curavit, qui deinde pariter ex monasterio, ob illustrem virtutem et sapientiam, ad episcopatum evocati sunt. Uxor vero ejus, nomine Galla, in speluncam mariti, cum ipse ad episcopatum periret, secessit, etique in vite, aeque ac loci rigore successit; nam ibidem totam se penitentiae et orationi consecravit. Filiae vero Consortia et Tullia, patrem et matrem imitatae, virginitatis deo voverunt, atque non tantum virginitatis gratia, sed et signorum gloria claruerunt, aeque ac pater, nimirum ipse S. Eucherius, qui inter alia miracula in Alpibus incidens in hominem membris contractum, ac jussu S. Caesarii Arelatensis episcopi (ut habetur in ejus Vita) porrigens ei manum, eundem elevans, sanitati membrisque restituit. Ita Baronius anno Christi 441 et 463. Unde Claudianus in lib. II *De Statu animae*, agens de S. Eucherio, qui, inquit, « viridis aevi, maturi animi, terrae desponsus, coeli appetens, humilis spiritus, ardens merilo, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquii profusus, magnorum sui saeculi pontificum longe maximus, editis in rem fidei multijugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque super statu animae concionatus est. » Quisque ergo sapit, cum S. Eucherio desuper terrae, astra appetit, solum despicit, caelum suspicit, vana licet speciosa contemne, vera et aeterna sectare, terrenis cunctis despuendo dicto: *Phy, phy terra!* quomodo sordes mihi, cum caelum aspicio!

QUIS COMMOVEBIT SUPER TE CAPUT? — Septuaginta: *Quis gemet eam?* Chaldaeus, Pagninus et Vatablus: *Quis condolebit tibi?* quia sicut antea nullus fuisi miserta, sic jam nullus miserebitur tui; Tigurina: *Quis ejus gratia iter suscipiet?* ut ei optuletur. Hebraice ad verbum est: *Quis movebit et, vel pro ea?* scilicet pedes, vel potius caput: commotio enim capitis super afflictio signum est condolentiae et compassionis, *Job* xvi, 5; *Jerem.* xviii, 16 et alibi.

UNDE QUERAM CONSOLATOREM TIBI? — g. d. Nusquam invenietur, qui te consoletur, quia invisae est omnibus, ideoque omnes experti tuam tyrannidem gaudebunt de tuo casu et ruina. Ita Vatablus.

8. NUMQUID MELIOR ES ALEXANDRIA POPULORUM? — Vers. 8. id est populosa, quae multos habet populos, quae abundat multitudine et turbis. Ita Pagninus, Vatablus, Mariana et alii: hoc enim significat hebraicum אֲמוֹן *amon*; positum enim est pro אֲמוֹן *hamon*. Rursum *Amon* est cognomen Alexandriae, eo quod ipsa sita fuerit in regione Ammonia, non longe a fano Jovis Ammonii. Vide dicta Je-

rem. XLVI, 40. Unde Syrus verit: *Numquid melior est Jacon Amon* (id est Alexandria, quae etiam Amon aquarum dicitur, ita Lexica Syriaca) *quam sedet in fluminibus?* Quare alienius verit Arabibus Antiochenus: *Numquid tu melior es buar* (exilio) *Moaab?* et Alexandrinus: *Para tibi sortem de civitatibus Horod*, id est Seytharum, *aut sortem de Tammuz*, quae habitat in fluminibus. Nisi dicas Alexandriam dici Tammuz a suo idolo, eo quod coluerit Tammuz, id est Adonidem amasium Veneris; quod creditur esse facile: fuit enim haec urbs opibus et delictis, indeque luxu et luxuria diffuens. Sensus est: Numquid, o Ninive, tu melior, id est major, fortior, populosior, potentior es Alexandria populosissima et fortissima? utpote quae ab una parte Nilo, ab altera lacu Mareotico, a tertia mari, a quarta incommensabili solitudine cingitur, ut docet Josephus lib. II *Belli*, cap. xvi. Vide ejus situm et descriptionem apud Abrahamum Ortelium in *Theatro urbiom*, q. d. Si Alexandria, quae et situ loci, et civium multitudine videtur munitissima, inaccessa et inexpugnabilis, expugnabitur tamen et capietur: non est quod tu, o Ninive, tuo robori praefidas; nam pari modo expugnabuntur caperisque et tu. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii (1).

Alexandriae urbs.

Nota primo: Urbs haec tempore Nahum et Jeremiae dicta est No, ut habet textus hebraeus, quae postea, scilicet post annos 200, nimirum anno 380 ante nativitatem Christi, restaurata et amplificata ab Alexandro Magno, ex eo dicta est Alexandria, ut docent Plinius lib. V, cap. x, Solinus cap. xxxv, Strabo lib. XIV, et alii (2). Pra-

(1) De hac urbe No-Ammon dissentiunt interpretes, quae proprie intelligenda sit; diversae sententiae Calmetus et Rosenmuller referunt, « Nobis, inquit Ackermann, quem sequitur Maurer, probabilissima est sententia eorum qui statuunt No-Ammon esse Thebas, vel Diospolim, nobilissimam urbem superioris Aegypti, quae ad Nilum sita erat, et praeter ejus septem alveos mare Rubrum ac Mediterraneum habuit, quae velut munimenta invicta haestas ab Aegypto prohiberent. Accedit Ninivitis proponendam esse urbem, quae non magis natura et miraculis nobilis munita, quam propter Imperii amplitudinem et diturnitatem florentissima esset. Ceterum יְרִיחוֹ *Jericho*, haec loco septem Nili alveos, quibus undique urbs cincta erat, significat. » Haec est etiam sententia Zerull, Rosenmuller et Maurer, cuius haec sunt verba contra Kreenen, qui hic aliam Diospolim Aegypti inferioris intelligit: « At vero tantum abest, ut quae in hoc Nahumi loco legitur a Thebis abhorreat, erat enim ea urbs in utraque ripa Nili sita (Strabo cap. xvii, p. 816), et circumdata haud dubie canalibus Nili, qui idem recte dicebatur יְרִיחוֹ *Jericho*, ut, quod No-Ammon sita dicitur יְרִיחוֹ *Jericho*, magis conveniat in Thebas quam in alteram urbem; siquidem illa voce constat speciatim brachia et canales significari Nili. »

(2) S. Hieronymus ex sententia Hebraei praceptoris sui verit, *Alexandriam*, non quod, ut scribit in Commentario, eo tempore Alexandria vocaretur, quippe quae longo post tempore ab Alexandro Magno nomen accepit; sed quia sub nomine primo, id est No, semper Aegypti metropolis fuerit, et abundantissima populis.

dicit hic Nahum, uti et Jeremias cap. xlvi, 40, eam evertendam a Nabuchodonosore; quod licet aliqui, ut a Castro, factum conenseant ante excidium Jerusalem, nimirum anno 1 Nabuchodonoris; tamen longe verius est id factum esse post excidium Jerusalem, anno 23 vel 24 Nabuchodonosoris, uti ostendi cap. ii, 1, idque satis significat hic Nahum.

Nota secundo: Urbs haec fuit Aegypti celeberrima, opulentissima, munitissima et populosissima. Unde Alexander Magnus eandem ad effugiem chlamydis Macedonicae, ait Plinius lib. V, cap. x, orbe gyrato, spatio septemdecim dierum, ut Justinus testatur lib. XI, extructis muris, qui se extendent ad sex millia passuum, magnifice resituit. Urbs fuit omnium post Romam maxima (unde hic cum Ninive comparatur, quam maximum fuisse docet Jonas cap. iii, 3) longa stadiis triginta, lata decem, ambitu ipso completens passuum millia quindecim. Addit Q. Curtius lib. IV *De Gestis Alexandri*: « Fama est, inquit, cum rox urbs futuris muris polentum, ut Macedonum mos est, destinasset, aivum greges advolasse, et polenta esse pastas; cumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum, respondisse vates magnam illam urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta praebituram. » Portum enim habet optimum, cui ad dexteram objecta Pharus insula, turrim maxiam sustinet, ad trecenta usque stadia navigantibus igne lucentem. Quocirca cum Romanis paruit, pendebat plus tributorum singulis mensibus, quam Hierosolyma toto anno, et praeter pecuniam, annonam quatuor mensium plebi Romanae ministrabat. Alexandria ergo, quam Strabo lib. XIV, urbem potentem et populosam nominat, Alexandri Magni opus, nomen et bustum, emporium erat totius Aegypti vetustissimum, loco ad mercionia opportuno situm, nimirum ad litus nostri maris, juxta Canobicum Nilii ostium, in Africam vergens. Urbs olim magnifica, superbissimis aedificiis, tam publicis quam privatis. Quam deinde ob cultum divinum isthic florentem, plebisque sanctimoniam, paradisum Domini veleres nuncuparunt; sicut et Antiochiam Theopolim. Quocirca Augustus Caesar, post devictum Antonium Alexandriam veniens, et fundatoris corpus reverenter aspiciens, triplici de causa se eandem, licet hostilem, et Antonio faventem conservasse, palam est fassus: scilicet ob Alexandri memoriam, pulchritudinem urbis, et propter Arium philosophum, qui in universitate Alexandria professor, magno apud Augustum in honore fuit. In ea enim fuit Musaeum Serapium et Iseum, a Musis, Serapi et Iside denominatum. S. Marcus tandem evangelista a S. Petro eo missus, Alexandrinus fidei et religione christiana imbuti per 20 annos, ac pro ea ibidem martyr occubuit. Insuper ipse Alexandriae ecclesiasticam scholam instituit qui doctis-

Splen-

simi semper et sanctissimi viri praefuerunt, ut Pantenus; domo Origenes, qui arcem philosophiae et eloquentiae occupans, ibidem in Sacra Scriptura sua hexapla et octapla, ac in eam commentaria illustra exaravit. Origeni successit Hieronimus; hinc Dionysius, Athenodorus, Malchion, Didymus, S. Athanasius, Cyrillus, Theophilus, etc. Hic S. Hieronymus, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus alique praestantissimi viri eruditi sunt. Celebris fuit et hic scriptis Philo Judaeus. Quantum hic flourerit mathesis docet Cicero lib. I *De Divinat.* De magnifica et omnium disciplinarum libris instructissima Bibliotheca Alexandrina, in qua erant quadraginta millia librorum, quam Aristoteles primum insitavit, testis est Strabo lib. XIII; hanc Ptolemaeus Philadelphus, secundum ab Alexandro Magno Aegypti rex, mire auxit libris ex Graecia, praesertim Athenis et Rhodo peditis, teste Athenaeo lib. I, cap. XVII; sed maxime sacris Bibliis, in grecum translatis a Septuaginta interpretibus, quos ipse ab Eleazaro Pontifice postulavit. Hae ergo versio Septuaginta Interpretibus facta et eusa est Alexandria. Ita Eusebius lib. VIII *De Praepar.* cap. I, Josephus lib. XII *Antiq.* cap. II, Clemens Alexandrinus lib. I *Strom.*, et alii. Denique Alexandria fuit S. Catharina, et alii. Denique Alexandria fuit S. Catharina, et alii. Denique Alexandria fuit S. Catharina, et alii. Denique Alexandria fuit S. Catharina, et alii.

Nota tertio: Pro Alexandria populorum hebraice est אַמּוֹן *ammon* manna; sed Septuaginta aliis punctis legentes אַמּוֹן *ammon* (unde mina et mna) *Ammon*, vertunt, *pars Ammon*. Sic enim habent, *apta chordam pars Ammon*. Per *Ammon* aliqui Ammonitas Moabitis vicinos accipiunt. Melius accipias Ammonitidem Aegypti, juxta quam sita erat Alexandria, q. d. O Ammonitis regio, o Alexandria, vastaberis: apta ergo chordas tuae lyrae, ut canas tibi lyricum et funebre carmen. Ita S. Hieronymus, qui et aliter explicat, nimirum de Ninive, q. d. « O Ninive, inordinatum et incompositum tum, et in diversa discrepans in chordarum similitudinem apta, ut fiat harmonia et vocalis in laudes Dei concentus; quia nihil tibi proderit species et magnitudo tua, quae praecipua habere te credis, nisi te aptaveris ad canendum. Considera enim omnem partem sortis filiorum Ammon, et quaecumque aestimantur possidere bona quomodo eos non defenderint, ne irent in captivitatem: » sic nec tua te defendent. Verum priorem sensum praefert S. Hieronymus, et merito: non enim agitur hic de filiis Lot, Ammon et Moab, sed de Amnone Aegypti.

Nota quarto: Pro Alexandria populorum, verti potest, Alexandria tumultus, ut vertit Noster, *Jerem.* XLVI, 25. Utrumque enim significat Ammon, vel Hamon, quia populus adducit turbam, turba parit tumultum, tumultus seditionem, seditio stragem et exitum. Prudenter Livius lib. II: « Opu-

lenti, ait, civitatibus venenum seditio, magna imperia mortalia reddidit. » Hinc rursus sapienter monet Thucydides lib. IV: « Curandum est, inquit, vicinis populis, ut pax inter vicinos populos colatur, » ne eorum tumultus et bellum, tumultum et bellum vicinis afflet et afferat. Hae de causa urbes et regiones populose ut sese in pace conservent, oportet ut foras ad bellum, vel ad novas colonias sepe multos ex illis emittant, praesertim otiosos, inquietos, acres et pugnaces. Ita de Hispanis scribit Justinus lib. XLIV: « Hispani, ait, bellum quam otium malunt; si extraneus deest, domi hostem quaerunt. » Et Carolus V imperator dixisse fertur Francisco Valesio Galliarum regi: « Tui Franci et mei Hispani adeo sunt fervidi et ardentes, ut si bellum nulli moveant, illud suo inferant principi. » Quocirca acute vir sapiens pronuntiavit: « Gallia ut sana sit et sese in pace conservet, necesse est ut quolibet decennio sanguinem mittat. » Quin et S. Catharina Senensis hac de causa suscit Gregorio XI et Urbano VI Pontifici bellum sanctum inferendum Saracenis et Turcis; cumque el obijceret Pontifex id intempestivum esse ob intestinas discordias et bella, respondit illa efficacem remedium ad sopiendas hasce discordias fore bellum Turcicum: in eo enim Christianos posturos privatas lites, et communibus animis contra communem fidei hostem liberent ituros. Insuper in illud emissuros homines otiosos et pugnaces, et his emissis pacem domi fore. Sapiens utique consilium, quod utinam caperent et praeficerent republicae et Ecclesiae principes! nam domi ditones suas pacarent, et alienas infidelium sibi et Ecclesiae acquirerent. Id de S. Catharina Senensi refert Ambrosius Catharinus in ejus Vita. Pari modo tumultus populorum perdidit Alexandriam: quod ut significet Nahum, argute vocat eam Alexandriam Ammon, id est populorum et tumultus. Alexandrini enim alique Orientales calidi sunt et callidi: calor facit eos mobiles, mutabiles, biliosos, pugnaces: calliditas facit vafros, subtilis, dolosos, industrius ad machinandum tumultus et bella.

QUE HABITAT IN FLUMINIBUS. — Quia Alexandria ab ortu et occasu cingitur Nilo, qui in varios rivus se dividens urbem interluit, nullasque in ea facit insulas.

AQUE IN CIRCUITU EJUS. — Vatablus: *Aquis est circumfluita*; quia ab oriente et occidente Nilo, a septentrione mari, a meridie lacu Mareotico vallatur. Unde *aquis* sunt *muri ejus*: *cujus divitiis mare*; quia per mare omnis generis merces, eo quasi ad Orientis, imo orbis, emporium comportantur. Scribunt Osorius, Maffei lib. I *De Rebus Indicis*, et alii, antequam Lusitani navigarent in Indiam, et Goa merces Indicas devehent Ullyssiponem, omnes illas ex India solitas advehit Alexandriam, et ex ea devehit Venetias, indeque distribui per Europam. Pro *divitiis* hebraice est

Polis, emm habet lum fo ris cres domi pa oca.

חֵל *chel*, quod robur aequae ac opes significat. Unde Chaldaeus vertit, *cujus murus est mare*; Pagninus, *cujus antemurale est mare*; Tigurina, *cujus propugnaculum est mare*; Septuaginta vero *chel* derivantes a חֵל *chel*, id est incipere, vertunt, *cujus principium est mare*. Hinc patet Alexandriam aquis et situ fuisse munissimam. Nam, ut ait Josephus lib. II *De Bello*, cap. XVI: « Munitur undique aut incommutabili solitudine, aut importuoso mari, aut fluminibus, aut oncosis paludibus. » Et Solinus, *Polyhist.* cap. XXXV: « Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, caeco mari, tribusque tantum canalibus admittit navigantes. » Et S. Cyrillus ejus patriarcha: « Alexandria, ait, super alias Aegypti urbes plurimum excelebat, tuta a predonibus, et securum perfugium, quod aquis undique ambiatur; et versus Aquilonem mari alluatur, versus Austrum vero lalam et longam, et velut alterum mare, paludem, inquam, Mareotidem habeat: munita sit insuper aliis fluminibus, et lacubus cingatur. »

9. ETHIOPIA FORTITUDO EJUS. — Ethiopia enim, sive Abyssia, vicina est et adiacens Alexandria: unde vocatur Ethiopia sub Aegypto. Alexandria ergo facile ex Ethiopia auxiliares copias ad se evocabat, et facilius ex vicinissima Aegypto.

ET NON EST FINIS, — scilicet militum et copiarum, quas ex vicinis gentibus sibi confederatis ad se accerebat. Nam et

AFRICA ET LIBYES FUERUNT IN AUXILIO TUO, — q. d. Auxiliarem habebas totam Africanam, et maxime viciniorum ejus partem, scilicet Libyam. In voce tua, est enallage personae Hebraeis usitata. Transit enim a tertia persona ad secundam. Aliter Vatablus, q. d. Ethiopia et Aegyptus erant auxilio Alexandriae, sicut tibi, o Ninive, auxiliabantur Africa et Libya. Verum Africa et Libya vicinae sunt Alexandriae, remotae vero admodum a Ninive: unde proclive et facile erat Alexandrinis inde evocare auxilia, non vero Nivinitis.

10. SED ET IPSA (ALEXANDRIA) DUCTA EST IN CAPTIVITATEM. — Hinc Clarius et Arias censent Alexandriam jam vastatam fuisse, cum haec scriberet Nahum. Verum ex Jeremia, cap. XLVI, 10, constat eam vastatam a Nabuchodonosore, qui diu post Nahum vixit. Est ergo enallage temporis propheticae; ponitur enim praeteritum pro futuro, « ducta est, » id est duceatur, « in captivitatem (1). » Allegorice, Alexandria populorum est Ecclesia ex omnibus populis collecta, quae, ut inquit

(1) Quando et a quibusdam victoriosus urbs illa (quam Theham esse delinavit) fuerit expugnata, hanc certo liquet, inquit Rosenmüller. Neque tamen improbabilis est conjectura, accessisse illud in expeditione a Tartane duce exercitus Assyrii, Sargone rege, in Aegyptum suscepta, primis Hiskiae annis, ut ex *Jesaj.* XX, I, colligi potest. Juxta Munter, videtur suscepta ista expeditio annis praeteritis proximis ante annum regnantis Hiskiae decimum quartum: in eadem sententia Botcherus, Hesselbergus, Hitzigius.

S. Hieronymus, « habitat super omnes Prophetas, et habet doctores in circuitu suo, quorum de ventre manant flumina: cujus initium est mare, » id est lex quae amara est, nisi ligno crucis Christi dulcetur: a quae habet Aethiopia in fortitudine: Aethiopia quippe praevient manus ejus Deo: et Aegyptum, in quam Dominus venit in nube levi; et Libyes, qui antea habitabant in arenibus, et postea facti sunt in auxilio ejus. Et haec ergo, si non se attenderit, et omni diligentia custodierit cor suum, captiva duceatur, et planget filios suos. Et tu ergo, Ninive, homines videlicet infideles, homines mundo inhaerentes, senties supplicia, et consopieris calice mero, cum illi quoque biberint, qui de mea parte fuerant, et suo vitio corruerunt. »

PARVULI EJUS ELISI SUNT, — allisi sunt ad saxa a Chaldaeis, quod summum crudelitatis aequae ac miseriae est argumentum.

ET SUPER INCLITOS VIROS MISERUNT SORTEM, — q. d. Chaldaei super viros nobiles et primores Alexandrinorum a se captos sortem jecerunt, atque eos quasi mancipia sortito inter se distribuerunt.

ET OMNES OPTIMATES EJUS CONFIXI (SEPTUAGINTA, ALLIGATI; TIGURINA, VINCTI) SUNT IN COMPEDES.

11. ET TU ERGO (O NINIVE, PARI MODO QUO ALEXANDRIA) INEBRIABERIS (CALICE IRAE DEI, UT PUNIARIS ET VASTERIS); ET ERIS DESPECTA, — adeo ut etiam ab inimicis, quos antea despexeras, cogaris opem poscere. Pro *despecta* Chaldaeus vertit, *passundata*; Pagninus, *abscondita*; Tigurina, *obscurata*, q. d. Abscondes te praeter metu et trepidatione: vel, ut alii, tolleris de praeter metu, ita ut non appareas; quia desines esse in rerum natura. Ita Vatablus.

12. OMNES MUNITIONES TUAE SICUT FICUS CUM GROSSIS SUIS. — Duplices sunt in ficibus grossi: priores sunt primae ficus, quae proinde *flores fructuum* vocantur, utpote primo mature et sapidissime; posteriores sunt ficus immature, quae in hieme per se decidunt. De prioribus hic agitur, q. d. Sicut grossi, id est primae ficus praecoeces et mature (has enim significat hebraeus כְּרוּרִים *biccurim*), vento cum sua arbore concussa, facile ea decidunt in os comedentis; id est hominis sub ficu hiantis, ut ficus decedentes excipiat et comedat; ita tuae munitiones, o Ninive, concussa a Chaldaeis, illico corruent, et in os, id est in manus et potestatem eorum, cadent. Hoc sensu ficus hic arborem significat, non fructum. Ita Chaldaeus, S. Hieronymus, Haymo, Rupertus et alii passim. Secundo et melius, Vatablus, a Castro et alii per ficus accipiunt non arborem, sed fructus, q. d. Sicut ficus posteriores cum prioribus, sive praecoecibus, quae grossi vocantur, vento agitate decidunt in os comedentis; ita cadent muri et propugnacula Nivines in manus Chaldaeorum, idque facile et sine labore in os enim arborem, sed fructus ficium cadunt in os comedentis. Unde Syrus vertit: *Sicut ficus temporanea (primiliva) quae cum facta (mature) fuerint, cadunt in os comedentis;*

Arabicus Antiochenus : Sicut focus pulchra, quae cum matura fuerint, cadunt de ore eas comedentes; Arabicus Alexandrinus : Omnes habitationes tuas tumentes quasi arbores fuscas, in quibus remanet residuum, quae cum fuerint concussa, cecidit quod in eis est comedenti illius.

Ita tropologie, anime peccatorum sunt quasi focus et grossi, quae cadunt in os diaboli, ait Theophylactus, uti in ejus os cecidit Adam comedens pomum vetitum, quod videtur fuisse focus. Sic pariter analogice in die iudicii, inquit Rupertus : « Quando manifeste veniet Deus noster, et non silebit; quando ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida; » magno terrore motu cadent munitiones totius orbis, quantumque vel qualescumque, tam spirituales quam materiales possunt intelligi, et ille quarum primus structor fuit Cain, et ille quae contra veritatem extruit spiritus erroris, omnes cadent in os devorantis inferni, glutientis abyssi, gehennalis incendii.

13. ECCE POPULUS TUUS MULIERES. — id est quasi mulieres imbelles, effeminatus fuit, o Ninive. Unde Chaldaeus vertit : Ecce populus tuus imbecillus est instar mulierum, in medio tuo; quia ob ejus ignaviam et metum inimicis, etc., penduntur portae; Vatablus, aperient se portae, scilicet sponte sua, ut sit hyperbole. Tropologie S. Hieronymus : « Ninive, inquit, id est homines seculares ita passionibus enervati sunt, et viribus elanguerunt, ut imbecillitati mulierum comparentur. Nihil enim in animabus suis forte, nihil robustum possident et virile. Unde inimici, prevalentes adversus eos, aperuerunt omnes sensus eorum, et per corporales januas introgressi sunt; quia dissolutis manibus, id est operibus voluptatis, quidquid in te habueras roboris perdidisti. »

DEVORANT IGNIS VECTES TUOS. — Ignem proprie accipio, de quo dixi cap. II, 13. Alii Vatablus, g. d. Vectes tui, qui alias solent esse ferrei et fortissimi, ad insultus Chaldaeorum non resistunt, sed illico dissiliunt, ut videantur igne consumi.

14. AQUAM PROPTER OBSIDIONEM HAURI TIBI. — g. d. Instat tibi, o Ninive, obsidio; ad eam ergo para, aquam et annonam compara : erit enim longa et diuturna obsidio. Urbes quaedam carent puteis; unde per aqueductus forinsecus ex fontibus vel fluminibus, aquas in cisternis excipiunt et conservant, ut fit Brugis Flandrorum; quin et Romae plerique aqua non puteali, sed fontana per aqueductus invecta utuntur. Talis videtur fuisse Ninive. Unde monet Propheta ut ante obsidionem de aqua sibi provideat. Unde Syrus vertit : Aquas in tribulatione (obsidione) hauri tibi; Arabicus : Aquam in angustia hauri tibi.

INTRA IN LUTUM, — hoc est, ut S. Hieronymus, subigendo argillam lateres confice, quibus ruinas murorum obstruas; sed frustra id facies, quia ibi et in isto opere igne et ferro te vastabunt Chaldaei. Tropologie S. Hieronymus : Corpus,

inquit, nostrum est lutum et later, « quia quasi terra, et paleis, et aqua; ita carnis, sanguine, venis, nervis, ossibusque compactum est. g. d. Quia semel, o anima, ingressa es lutum, et clausa corpore, susline injuriam et necessitates corporis, et conculare ab inimicis, et omnia ad conficiendam carnem, quae poenitentia digna sunt, patere. Semel enim assumens lutum et paleas, et inanibus hujus seculi negotiis involuta, debes per injuriam sponte calcari. Et tamen noli salutem penitus desperare : esto confidens, et corpus, id est laterem tuum, propter assumptum sermonem, quasi aquam in servitutem redige, et subijce tibi, ut domineris lateri tuo, ne vivax te gehennae flamma consumat. »

15. PERIBIS GLADIO, DEVORABIT TE UT BRUCHUS. — g. d. Sicut bruchus omnia germina absument, ita gladius hostilis omnia civium tuorum agmina perdet; et, ut ait S. Hieronymus, a quidquid in te virens videbatur, et naturae bono sponte germinans, avaro dente consumet, et quasi bruchus volatu perditio, et gravatus pondere suo, ita et tu gravata onere peccatorum detraheris in terram. »

CONGREGARE (ergo) UT BRUCHUS: MULTIPLICARE UT LOCUSTA. — g. d. Contrahe et collige numerum militum maximum, quantum esse solet numerus bruchorum et locustarum, si ita velis et possis; sed frustra : nam nulla copia te tutari valebit; certo enim peribis. Est ironia. Bruchus est species locustae, de qua dixi Joel. I, 4.

16. PLURES FECISTI NEGOTIATIONES TUAS QUAM STELLAE SINT COELI: BRUCHUS EXPANSUS EST, ET AVOLAVIT. — g. d. Plurimas collegisti merces et opes, sed istae omnes ut bruchus cito a te avolabant ad Chaldaeos, a quibus diripientur. Vatablus : Plures habuisti mercatores, quam sint stellae coeli : ipsi autem erunt sicut bruchus, qui una omnia deperastus est avolat, g. d. Mercatores tui, o Ninive, mox ut famam belli et obsidionis audierint, auferent cum suis mercibus et opibus, instar bruchi deficiente germine avolantis. Sic et a Castro et Pagninus qui vertit : Bruchus grassatus est, et avolavit. Hoc est quod ait Sophar Job. cap. xx, 5 : « Quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hyperbolice ad instar puncti. Si ascenderit usque ad caelum superbia ejus, et caput ejus nubes tegerit, quasi sterquilinum in fine perdetur : et qui eum viderant dicent : Ubi est? velut somnium avolans non invenitur, transiet sicut visio nocturna. » Sic quoque accipi potest illud Sapientis, Prov. xxiii, 5 : « Ne erigas oculos tuos ad opes, quia non potes habere (scilicet juste et licite, g. d. quas habere vel retinere est nefas); quia facient sibi pennas quasi aquilae, et volabunt in caelum : » sicut aves capte ab aenepe, dum patet exitus, illico ab eo quasi injusto et tyranno avolant; simili enim modo opes ab injustis possessoribus, quasi captive violententer detinentur : unde ut ibi etiam captivitate in libertatem se asserant, serviantque Deo et ju-

Ver. 15.

Ver. 16.

Ver. 17.

tis propter quos creatae sunt, ad eos advolant, ut docet Sapiens Prov. xxviii, 8.

17. CUSTODES TUI QUASI LOCUSTAE. — g. d. Duces et milites, qui te, o Ninive, custodiebant, erunt quasi locustae, quae rectore carentes, in periculo ac illicueque discurrunt, quae nocturno frigore torpidae, oriente sole incalescentes, avolant; ita et ignavi tui milites, accedente Chaldaeo, quasi igne percussi et percussis diffugiunt. Nota : Custos Hebraeis vocatur prefectus, rex, dominus, hujus enim est custodire et tueri sibi subditos. Sic Job cap. vii, 20, Deum vocat custodem, id est regem et dominum hominum. Sic Jeremias, cap. iv, 17, custodes vocat reges gentium, qui venturi erant contra Jerusalem. Pro custodes hebraice est minzaravich, quod derivatur a נצר nezor, id est corona, diadema, coma, separatio, consecratio, nazareatus. Unde Vatablus vertit, coronati tui, id est, ut Pagninus, magnates et principes tui; Chaldaeus : Lantia tua flammificat sicut locustae : lantia, scilicet coronarum et diadematum, quibus hi principes decorabantur. Alii, nazarii tui; alii, separati et consecrati tui. Principes enim, sicut et sacerdotes, dignitate, aequae ac corona et veste, a plebe erant separati. Tigurina : Conati tui locustas referunt, g. d. Principes tui erant comati, ipsaque coma et caesare, velut corona et diadema, ab aliis fuerunt quasi dignitate separati. Coma enim et caesaries in viro est quasi corona dignitalis. Hinc nazareii apud Hebraeos a vulgo separati erant, et quasi consecrati Deo per comam quam alebant : coma ergo erat insigne honoris et dignitatis.

ET PARVULI TUI QUASI LOCUSTAE LOCUSTARUM. — « Parvuli, » id est inferiores et gregarii milites, omnis generis et gentis. Hos enim significat hebraeum נצרצר tapzor, quos proinde Septuaginta vocant comatios, scilicet ex varia hominum sorte et gente. Ita S. Hieronymus. Hi enim, quia sunt parvi, et plurimi varique, recte comparantur locustis, uti iisdem comparantur ea de causa Madianitae Judae, vi, 5. Alii tapzor censent compositum ex נצר taph, id est parvus, et צר sar, id est princeps. Unde Chaldaeus vertit, duces tui; Pagninus, principes tui; Vatablus, optimates tui; Tigurina, ingenii tui; Arabicus Antiochenus, armati tui; Arabicus Alexandrinus, populus tuus; Syrus vero, nazarii (continentes, casti) tui quasi locusta inhaerens, vel infusa sepi.

Melius tapzor exponi parvus principis, scilicet servus et miles. Ita Noster et Septuaginta. Porro locusta locustarum est locusta non magna et pregrandis, ut vult a Castro, sicut Canticum canticorum est magnus et insigne praeter caeteris canticum; sed parva, puta proles et soboles locustae, scilicet atellabus, ut vertunt Septuaginta et Tigurina. Unde S. Hieronymus sic explicat, g. d. « Sicut locustae et bruchus, et parva geminina locustarum quae vocantur atellabi, sole incalescente, avolant, nec reperiuntur; sic tu, o Ninive, dis-

Ver. 17.

pergeris et fugies. Natura enim locustarum est, ut in frigore torpentes, per calorem volitent. Porro atellabus, quem significantes comestorem interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum, et modicis pennis reptans potius quam volans, semperque sublimens, et ob hanc causam ubique orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit; quia dicitur crescere pennae, abire non potest. » Vide de locustis et atellabis ea quae notavi Joel I, 4. Ubi nota hebraismus : Hebraei enim cum volumus significare animal tenerum, et recens natum, ei adjungunt nomen matris, quasi ipsum adhuc matrem sectetur, ab eaque lactetur vel alatur. Sic vocantur agni volans, id est agni teneri, sequentes oves matris suae. Sic Alexander vocatur hircus caprarum, id est haecus capram matrem sequens, quia erat juvenis, Daniel. viii, 5. Sic catulus leaenae vocatur leonculus leaenam matrem comitans. Sic Sanson ait Judic. xv, 16 : « In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, » id est aselli lactentis et sequentis asinam matrem suam, « delevi eos, et percussi mille viros. » Fortis enim viri est, per rem parvam magna facere, uti Sanson per mandibulam aselli occidit mille Philistaeos.

NON EST COGNITUS LOCUS EARUM, — hoc est ipsae locustae non sunt cognitae, nec inventae in loco suo, quia perierunt. Est hypallage. Vide dicta cap. I, 18.

18. DORMITAVERUNT PASTORES (principes et duces) TUI, REZ ASSUR, — o rex Ninive. Significat desidiam ducum causam fuisse, cur a Chaldaeis caperetur Ninive, ac proinde ipsos duces a Chaldaeis esse occisos, et plebem dispersam. Hoc est enim quod subdit : « Sepelientur principes tui, » primo vino, deinde humo, g. d. Chaldaei invadent Ninive somno vinoque sepultam, itaque sepultos occident, et in fossis sepelient. Septuaginta vertunt : Conspicit fortes tuos, scilicet reftus, o Ninive, sicut Balsarus mero consopivit optimates; quos proinde Cyrus, capta Babylone, eadem nocte oppressit et occidit, Daniel. cap. v, 1 et sequent. Quod tropologie S. Hieronymus explicat de diabolo : hi enim est rex Ninive, id est mundi : « Semper enim, inquit, diaboli studium est vigilantes animas consopire. Denique et in passione Domini Apostolorum oculos gravi sopore premit, quos Salvator suscitavit ait : Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Et rursum : Quod vobis dico, omnibus dico : Vigilate. Hinc quoque ille suavi et pernicioso carmine Sirenarum illexerit ad dormiendum, excitat sermo divinus, et dicit : Surge qui dormis, et illumina bit te Christus, » Ephes. v. Unde idem analogice dicit Christus in excidio Ninive, id est in fine mundi, cum homines ob peccatum somno mortis consopitos resuscitabit, facietque resurgere ad vitam beatam.

LATITAVIT POPULUS TUUS IN MONTIBUS. — Chal-

Diabolus somnum, Christus vobis inhaerit.

Ver. 18.

denis, Tigurina et Pagninus. *Dispersus est populus tuus per montes*, scilicet fugiens Chaldeos, ac in montibus et speluncis ab eis se abscondens.

19. *NON EST OBSCURA CONTRITIO TUA*, — *q. d.* Clades et strages tua, o Ninive, tuum, inquam, excidium non est secretum, sed publicum toti que orbi conspicuum. Septuaginta vertunt: *Non est sanitas contritionis tue*, id est plagæ et vulneris tibi a Chaldeis inflicti; Chaldeus: *Non est qui doleat sibi de fractione tua*, *q. d.* Non est qui tibi tueque plagæ condolet. Pagninus: *Non est curatio fracturæ tuæ*; Tigurina: *Neque leve est vulnus tuum, sed acerba plaga tua*; Vatablus: *Non erit curatio fracturæ tuæ, doloris plena erit plaga tua*, id est fractura tua nulla curatione curari poterit: vulnus quod accipies a Chaldeis erit plenum doloris.

OMNES QUI AUDIERUNT AUDITIONEM TUAM (hoc est, rumorem et famam de tua calamitate et excidio. Est metonymia: ponitur enim actus pro objecto, scilicet auditio pro re audita, puta pro nuntio et fama), COMPRESSERUNT MANUM SUPER TE, — id est, ut Chaldeus: *Compresserunt super te manibus laetantes*, quia tua malitia et tyrannis, per tributa, onera, aliasque exactiones et oppressiones, transiit per universos, omnesque jugiter vexavit, *q. d.* Quia alios semper afflixisti, ideo nunc pari modo affliget te Deus per Chaldeos, omnesque gaudebunt et laudabunt justum Dei in te iudicium.

Symbolice et tropologicè, omnia que hisce tribus capitibus de Ninive, ejusque pompa, opibus, viribus, gloria, illecebris, furo, fraudibus, vanitate et excidio dicta sunt a Propheta, facile est, mutato tantum nomine Ninives in nomen mundi, adaptare mundo, ejusque pompæ, opibus, gloriæ, vanitati et interitui, quæ in dies oculis nostris cernimus, et plene cernemus in ejus fine, puta in die iudicii. Quocirca sapienter monet S. Joannes I epist. cap. II, 15: « Noli diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. » Et rursus: « Mundus transit, et concupiscentia ejus. » Ubi S. Augustinus: « Quid vis? inquit, utrum amare temporalia et transire cum tempore, an Christum amare et in æternum vivere? » Idem, epist. 36: « Vincula, ait, hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miserie, spem beatitudinis inanem. » S. Ambrosius, lib. de Virginitate: « Discite, ait, in hoc mundo super mundum esse. Si corpus geritis, vollet in vobis ales interior. » S. Chrysostomus, hom. 77 in Matth.: « Cur perforato dolio aquam ingeris? Nihil enim aliud est pro presentibus istis laborare, quam flammam decerpere, quam pugnissimè cedere. Certe frustra curris; vanitas enim omnia. » S. Gregorius, hom. 3 in Evangelio: « Despicimus, ait, cuncta presentia. Nulla sunt etenim que transire

possunt. Turpe sit diligere, quod constat citius perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non invidia consumat. » Et hom. 5: « Ipse ruina ejus prædicant quod amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: et qui stantem dilexerat, recedere quantocius a cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, et nos eum amando amplectimur, opprimi volumus potius quam habitare; quia nulla nos ratio a ruina illius separat, quos ejus passionibus amor ligat. » S. Bernardus passim mundum vocat stabulum, viam peccatorum, carcerem, atrium diaboli, noctem, plenum spinis, crucem, infidum, amantem nihil, vento vanitatis impulsus, inimicum Deo. « Impellit, » ait ipse serm. 83 in Cant., « omnes, sed solos evertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse hujus mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus gravior casus. » Idem, serm. 9 in Cena Domini: « Amor, ait, mundi totum mundum quærit, et nunquam satiat. Imo cum plus habet, plus cupit semper habere. Amor Dei unum cupit semper habere solum, illo contentus est, nil aliud jam possidere præoptat. Amor Dei nil aliud quærit, nisi solum Deum. » Idem, serm. de Misericordia humana: « Vide, miser homo, quia totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia, quidquid facis in hoc mundo, præter id solum quod in Deum, et propter Deum, et ad honorem Dei facis. Et mundum diligis, et Deum reliquis: mundum qui diligit, semper est in angustia; mundo vivere mors est; mundo anima mortua vivit. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias, » ait ipse epist. 103. Idem in Meditatio: « Dic mihi, ait, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? n hil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende diligenter qui sunt et fuerunt, sicut tu comederunt et biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligat, sempiternis ignibus involvantur. Qui socii fuerunt in vitis, socii erunt in pennis: una namque poena illos implicat, quos unus amor in crimine ligat. » Boetius, lib. II de Consol. metro 3:

Bara si constat sua forma mundo,  
Si tantas variat vias,  
Cede fortunæ hominum caducis,  
Bonis crede fugacibus.  
Constat æterna positamque lege est,  
Ut constat gonitum nihil.

Quin et Cicero Tuscul. IV: « Quid, ait, videatur ei magnum in rebus humanis, cui eternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? » Et Seneca: « Doce, inquit, leve esse et vanum hoc

quod apud homines felicitas dicitur, unam illi syllabam facile accedere. » Syllaba hæc est, felicitas enim terrena, ejusque mel facile in fel vertitur, aut est, in: felicitas enim facile fit infelicitas. Et Plinius in Panegyrico Trajani: « Habet, ait, has vias conditio mortalium, ut adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur. »

Hæc cogitabat, hæc sapiebat alicuius ille Cæsaris, qui, lecta Vita S. Antonii, conversus ad socium: « Dic, ait, quæso te omnibus laboribus nostris quo ambimus pervenire. Quid querimus? ejus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut imperatoris amici simus? et ibi quid non fragile plenumque periculum? et per quot pericula pervenitur ad grandis periculum? et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si esse voluerit, ecce nunc fio. » Et mox: « Ego jam me abrupti ab illa spe nostra, et Deo servire statui; et hoc ex hora hac, hoc in loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille se adherere socio tante mercedis, tanteque militiæ. » Ambo ergo valedicentes aule

et mundo. ibidem Dei obsequio se manciparunt. « Et ambo habebant sponsas, quæ postea quam hoc audierunt, diceverunt etiam ipse virginitatem tibi, o Domine. » Ita S. Augustinus lib. VIII Confess. cap. VI.

Hæc sapiebat S. Romula, quæ mundum calcans, totamque se dedicans Deo, moriens a duobus angelorum choris psallentibus deducta est in cælum. De qua proinde S. Gregorius, hom. 40 in Evangelio, ita exclamavit: « O vos qui in hoc mundo divites aut esse creditis, aut estis, conferte, si potestis, falsas divitias vestras veris divitiis Romula. Vos in hujus mundi via, omnia amissuri possidetis; illa nihil quæsit in itinere, et omnia invenit in perventione. Vos lætam vitam ducitis, tristem mortem timetis; illa tristem vitam pertulit, ad lætam mortem pervenit. Vos ad tempus queritis obsequium hominum; illa despecta ab hominibus invenit socios choros angelorum. Discite ergo, fratres, temporalia cuncta despiciere; discite honorem transeuntem contemnere, æternam gloriam amare. »